

V e
1690





h. XVIII, 10. OR. XVII, 10. DE

T 208



COMITIS PALA

TINI CÆSAREI DIGNITATE

AB IMP. MAXIMILIANO I.

FRIDERICO SAPIENTI,

ELECTORI SAXONIÆ, mem. fel.

collata

DISSERTATIO,

qua

ad audiendam

ORATIONEM VALEDICTORIAM

de

STUDIIS QUIBUSDAM POLITICO

MINIME NEGLIGENDIS

in Schola Altenburgensi

Ad XI. KL. Febr. A. cl^o l^o LXXVIII.

habendam

Omnes politiorum literarum Fautores of-
ficiosè invitāt

M. PAULUS MARTINUS SAGIT-
TARIUS, RECTOR.

ALTENBURGI

Excudebat GOTHOFREDUS Richter/ Typogr. Aul.



L. B.
S.



X antiquissima Celsis-
morum *Misnae Marchionum*
prosapia neminem ad hoc usque
ævi licuit reperire, qui in majori
Imperatorum dignatione vixerit,
cujus prudenti consilio plura in Im-
perio gesta, quique amplioribus honorum orna-
mentis fuerit mactatus, præter *Fridericum III.*
cognomento *Sapientem*, Electorem Saxonie.
Non equidem diffiteor, à Lothario *Conradum*
magni habitum & *Fridericum Gravem* Ludovi-
co Bavaro imprimis extitisse carum: neque grati-
am, quæ Sigismundus *Fridericum Bellicosum* ex-
cepit, eo inficias; multo minus me adduci patiar,
ut illustrem favorem *Friderici III.* & *Maximilia-
ni I.* erga *Albertum*, dextram Imperii manum, dis-
simulem aut svavisimum *Parentis* titulum infi-
cier, quo *Maximilianus II. Augustum* compellare
consuevit; Hoc enim si facerem, optimorum
Principum gloriæ detrahere & fidem probatorum

Histo-



Historicorum in dubium vocare, non immeritò
viderer. Quid tamen horum sit, nullum lau-
datisimorum Principum pari cum *Friderico* pas-
su posse ambulare, affirmare sustineo. Ecquis enim
eorum in curarum imperiiqve consortium ab Im-
peratoribus assumtus? Cum rerum præteritarum
Secretarii altum hâc de re teneant silentium, & me
silere jubent. Cui etiam vivo Imperatore titulum
locumtenentis in Imperio Romano sibi vendica-
re licuit? Quem hic nominem, non habeo. So-
lum *Fridericum*, felicissimum illum consiliorum
Architectum & sapientiâ inter cæteros Germaniæ
Principes eminentem *Maximilianus I.* dignum
judicavit, quem conscium curarum publicarum
redderet, quem arbitrum consiliorum assumeret,
cujus animo uteretur, rarissimo sane exemplo &
non nisi primis Romani Imperii temporibus rece-
pto, quæ Gordianum, Philippum, Licinianum &
Carum alios in communionem regiminis ascivisse
docent. Hujus consilium de tranquillitate publica
stabilienda gloriosissimum Imperatorum in Comi-
tiis *Wormatiæ* A. C. 1495. celebratis expetitur ap-
probare, quod & ratione prudentissimum & even-
tu felicissimum. Hujus consilii fidelissimis in Ju-
dicio Camerae Imperialis constituendo parere, ut-
pote salubris consilii patiens, nec ignarus, quanta
in capiendo consilio *Friderico* sit prudentia, quan-

tusque in capto exitus. Cum etiam in *Conventu*
Statuum Augustano quinquennio post instituto
sanctissimum *Septemvirorum Collegium* confir-
mare meditaretur, *FridERICI* nostri consiliis iterum
juvabatur, quippe qui *Remp.* noverat, quod ad
consilium dandum, iudicio *Ciceronis*, est caput.
Quo vero testatiorem memoriam relinqueret,
quanti consilia *FridERICI* aestimaret, quantumque
ex illis fructum atque voluptatem perciperet, splen-
didum *Locumtenentis regiminis* titulum in *Co-*
mitiis dictis ipsi tribuit, cuius non alium putabat
capacem, quamquam eximia sapientia donare na-
tura est dignata. O egregium honorem inter pri-
ma gloriae *FridERICI* numerandum famaeque tra-
dendum! Hoc *Fridericum*, quae fuit modestia, par-
cissime usum, *diplomata* ejus & *numismata* cer-
tam faciunt fidem; Ex multis enim *diplomatibus*
Oppido nostro datis unicū tantum reperire potui
Vinariæ die *Lunæ* post *Dominicam* *Invocavit* A.
1508. confectum, in quo haec verba: *Römischer*
Käyserlicher Majestät und desselben Reichs Stadt-
halter General, leguntur. Sic & in variis ejus nu-
mismatibus nonnisi *Didrachmum* vidi una facie
Aquilam bicipitem cum verbis: *MAXIMILIANUS*
RO. IMP. SEMP. AUGU. altera vero in exteriori pe-
ripheria *FRID. RO. IMPER. LO. TE. in proxima GEN.*
Dux SAX, 1517, & interiori figuram *Crucis*, insertis
lite-

literis C. C. S. N. i. e. *Cruz Christi Salus Nostra*, exhibentem. Cave autem in eam devenias opinionem, *Fridericum* tempore Interregni titulum eum usurpasse; Quo enim diploma & numisma excusum tempore, *Maximilianus* rerum summæ adhuc præerat. Verum enim vero Imperator prudentissimus satis non habuit *Fridericum* suorum consiliorum moderatorem Augusto hocce titulo ornasse, sed *Comitem* quoque *Palatinum Sacri Lateranensis Palatii, Aulae Cæsareæ & Imperialis Consistorii* in iisdem Comitibus renunciare nullus dubitavit, quæ dignitate non alius Principum, quantum quidem ego memini, est decoratus. Langium, Fabritium, Rosinum, Reusnerum, Dresserum, Faustum & alios nullam hujus rei fecisse mentionem, miror, factam vero à Viro in Historia patria & exotica versatissimo Dn. *Conrado Samuele Schurtz Fleischio*, Juris naturæ in Academia ad Alchim Professore famigeratissimo, in sinu gaudeo, eoque nomine publicas ipsi persolvo grates. Fecit autem in dissertatione Academica de vita *Friderici Sapientis* conscripta & simul prima Diplomatis Cæsarei verba adduxit. Integrum, prout ex instructissima Magni *Hortleder* Bibliotheca ipsius manu signatum ad me pervenit, hic apponam, non ingratham, ut spero, rem Historiæ studioso facturus.

A 3

Maxi-

11
Maximilianus, divinâ favente clementiâ, Romanorum
Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croa-
tiæ &c. Rex Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Lotha-
ringiæ, Brabantia, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ,
Lucemburgiæ & Geldriæ, Landgravius Alsatia, Princeps
Sveviæ, Palatinus in Habsburgk & Hannoniæ, Princeps &
Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ, Artesiæ, Hol-
landiæ, Seeiandiæ, Foretis, Kiburgiæ, Namurci & Zutphaniæ,
Marchio Sacri Romani Imperii, super Anasum & Burgoviæ,
Dominus Frisiæ, Marchio Schlavoniæ, Mechliniæ, portus
Naonis & Salinarum, Illustri Friderico, Duci Saxoniam,
Landgravio Doringiæ & Marchioni Misniæ, Sacri Latera-
nensis Palatii, & Cæsareæ aulae nostræ, ac Imperialis Consi-
storii Comiti Palatino, Principi Electori, Consanguineo ac
regiminis nostri Locum Tenenti charissimo

Gratiam regiam & omne bonum.

Illustris Princeps, Consanguineo
charissime,

Licet summi providentia Principis nihil in terrâ sine
certâ causâ propriaq; ratione disponat, suntq; adeo incom-
prehensibilia judicia & investigabiles viæ ejus, ut imperfecta
humanæ naturæ conditio non solum in causis operum per-
scrutandis deficiat, sed etiam in ipsis causarum operationib9
vix sufficiat admirari, scimus tamen quod universæ viæ ejus
misericordia & veritas sint & quod homines cooperatores
ejusdem ab Apostolo denuncupantur. Ideoq; nos etiam,
quos cælestis altitudo consilii ad hunc pertulit regalis api-
cem dignitatis, ut opportuna singulis provisionis auxilia pro
tempore disponamus, ex illis, quib9 prodesse non minus, quâ
præesse proponim9, nostros cooperatores cupim9 invenire.

Sane

Sane considerantes attentius & intra claustra pectoris nostri sedulo revolventes, intemeratae fidei tuae constantiam firmam, ac multiplicia devotionis ac fidelitatis insignia, quibus illustres progenitores tui, Duces Saxoniae, Divos Romanorum Imperatores ac Reges & ipsum sacrum Romanum Imperium, dignis studuerunt honoribus venerari, propter quod non temere aut immerito, praeter titulos, quibus illustris domus tua decorata est, etiam ad sacri Imperii Archimarschallatum, ac Electoris dignitatem assumpti sunt.

Attendentes praeterea illum fervidum tuae mentis ardorem, quo ad nostros & Imperii sacri promovendos honores, indefessis quidem laboribus, vehementius inclinaris, quod superioribus annis, dum in aula nostra regia opera tua uteremur, summopere claruit: Habentes etiam pro oculis, quod gratiarum dator altissimus, personam tuam industriae munere, providentiae dono, discretionis virtute, circumspeditionis gratia, & aliarum titulis virtutum, multipliciter decoravit

Quodque de tuis laudabilibus meritis a tuis progenitoribus radicatus emanatis, fiduciam obtinere possumus indubiam: Te Fridericum praenominatum animo deliberato, non per errorem, aut improvide, sed sano Principum, Magnatum, Comitum, Baronum & Procerum nostrorum, & Imperii Sacri fidelium accedente consilio, motu proprio, de certa nostra scientia & de plenitudine regiae potestatis, *Sacri Lateranensis Palatii, aulaeque nostrae, & Caesarei Consistorii Comitem* facimus, erigimus, creamus, attollimus & autoritate nostra gratiosius insignimus. Decernentes & hoc regali statuentes edicto, quod tu ex nunc in antea, omnibus Privilegiis, Juribus, immunitatibus, honoribus, praeminentiis, consuetudinibus ac libertatibus uti, frui, gaudere & laetari debeas & possis, quibus caeteri Sacri Lateranensis Palatii Comites hactenus fruti sunt, & utuntur fruuntur, seu quomodolibet gaudent, potiuntur atque

atq; utuntur, de consuetudine vel de jure. Dantes & concedentes tibi eadem regali autoritate plenam & omnimodam ex certa nostra scientia, motuq; proprio potestatem creandi *Notarios Publicos* seu *Tabelliones* & *Judices ordinarios* ubique locorum, per sacrum Romanum Imperium, qui idonei sunt, in literatura sufficientes & ad practicam & executionem ejusdem habiles (super quo Conscientiam tuam oneramus) plenaria potestate ad *Notariatus* seu *Tabellionatus* & *Judicatus* officium pertinente, eosque & eorum quolibet, auctoritate Imperiali, de prædictis, per pennam & calamarium, (uti est moris) investiendi. Dummodò tamen ab ipsis *Notariis* seu *Tabellionibus* & *Judicibus ordinariis*, per te faciendis & creandis (ut præmittitur) & eorum quolibet, vice & nomine nostro & Sacri Imperii & pro Ipso Romano Imperio, debitum recipias fidelitatis corporale & proprium Juramentum, in hunc videlicet modum: **Q**uod erunt nobis & sacro Romano Imperio & omnibus successoribus nostris, Romanorum Imperatoribus & Regibus, legitimè intrantibus, fideles, nec unquam erunt in consilio, ubi periculum nostrum tractetur, sed bonum nostrum & salutem defendent & fideliter promovebunt. Damna nostra pro sua possibilitate evitabunt & avertent: **Q**uodq; tabelliones hujusmodi seu *Publici Notarii*, tam instrumenta publica quam privata, ultimas voluntates, codicillos, testamenta, quæcunq; judiciorum acta & omnia alia & singula, quæ illis & cuilibet eorum ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel scribenda, juste, pure, fideliter, omni simulatione, machinatione, falsitate & dolo remotis, scribent, legent & facient, non attendentes odium, pecuniam, munera vel alias passiones & favores. Scripturas illas, quas debebunt in publicam formam redigere, in membranis mundis & non in chartis abrasis neque papyreis fideliter conscribendo, secundum terrarum

con

consuetudinem facient, causasque hospitalium & miserabilium personarum, nec non pontes & stratas publicas pro viribus promovebunt. Sententias, dictaque testium, donec publicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter retinebunt ac omnia alia & singula rectè & justè facient, quæ ad prædicta officia quomodolibet pertinebunt consuetudine vel de jure. Quodque hujusmodi Notarii publici, Tabelliones & iudices ordinarii, per te faciendi & creandi, possint per totum Romanum Imperium & ubique locorum facere, conscribere & publicare contractus, instrumenta, judicia, testamenta & ultimas voluntates, Decreta & auctoritates interponere, in quibuscunque contractibus requirantibus illas & illa & omnia alia & singula facere, publicare & exercere, quæ ad officium Publici Notarii seu Tabellionis & Judicis Ordinarii pertinere & spectare noscuntur.

Insuper eadem autoritate regia ex certa scientia motuque simili tibi damus, concedimus & largimur, quod possis & valeas naturales *bastardos, spurios, manseres* nothos incestuosos, copulativè aut disjunctivè, tam masculos quàm scæminas & quosvis illegitimè natos seu defectum natalium patientes, & quoscunque alios ex damnato & illicito coitu procreatos natos, vel nascituros, sive unicum defectum tantum seu plures simul patiantur, etiamsi infantes sint, ad instantiam parentum, seu ipsorum legitimandorum, vel etiam per procuratorem & non solum natos, sed etiam in utero existentes, & feudatariorum filios, tam absentes quàm præsentis, unum vel plures, viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus, legitimare. Illustrium tamen Principum, Ducum, Marchionum, Comitum & Baronum filiis duntaxat exceptis. Etiam hæreditate parentum eorum tam adita, quàm non adita & tam bonorum ipsorum possessione apprehensa quam non apprehensa & eos & quemlibet eorum, ad omnia jura legitima

B

et ad

& ad honores & actus legitimos restituens, illosq; , ad illos,
& antiquos natales, quibus ab initio omnes homines legitimi
nascebantur, reducere, omnem genituræ maculam penitus
abolere, ipsos restituens & habilitans ad omnia & singula ju-
ra, successiones paternarum hæreditatum, tam per alios ad-
itarum quam non aditarum, etiam ab intestato, cognatorum &
agnatorum bonorum feudalium, allodialium, vasallagiorum
& aliorum quorumq; bonorum & ad honores & dignitates,
& ad omnes & singulos actus legitimos, ac si essent de legi-
timo matrimonio procreati & qui agnati & cognati eorum,
talibus legitimatis, possint succedere. Dummodò legitima-
tiones hujusmodi per te faciendæ (ut præmittitur) non præ-
judicent filiis legitimis & hæredibus, quin legitimandi cum
legitimis æquis portionibus succedant suis parentibus & a-
gnatis, nisi forsitan ratione sexus vel agnationis ex dispositio-
ne legum alicujus municipalis vel consuetudinis debuerint,
prædicti legitimati præferri his, qui ab initio fuissent legitimi,
& de legitimo matrimonio. Quo casu eis prærogativam præ-
sentium quoq; tenore concedimus, non distantibus prædicta
Authentica: Quibus modis naturales efficiuntur: & omnibus
aliis juris dispositionibus, ipsis filiis omnimodam clementiam
denegantibus, nec non aliquibus legibus, quibus cavetur,
quod naturales bastardi, spurii, manseres, incestuosi, copula-
tive vel disjunctive, vel alias quicumque de illicito coitu pro-
creati vel procreandi, non possint vel debeant legitimari, li-
beris naturalibus legitimis existentibus sine consensu & vo-
luntate filiorum naturalium & legitimorum, vel aliis quibus-
cunq; legibus, ordinationibus, juribus, constitutionibus, de-
cretis, statutis seu consuetudinibus, præsentis nostri indulto
& concessioni quovis modo contravenientibus, etiam si tales
essent, quæ deberent hic exprimi & de eis fieri mentio spe-
cialis. Quibus omnibus obstantibus, seu obstare volentibus
huic

huic nostræ concessioni et ejus effectui, de nostræ plenitudi-
ne potestatis, motu proprio & de certa nostra scientia et cau-
sæ cognitione, in hoc duntaxat casu, totaliter derogamus et
derogatum esse volumus per præsentem, tibiq; concedimus,
quod quantum ad prædicta, eadem nostra regia autoritate
possis etiam derogare. Et ne de cætero introducantur et fi-
ant decreta, statuta et consuetudines, quæ huic nostræ con-
cessionem quomodolibet obviare possint, edicto præsentem om-
nimodo prohibemus.

Præterea ex præfata nostra regia autoritate damus et
concedimus plenam et omnimodam, ex certa nostra scien-
tia, motuq; proprio, potestatem, quod possis et valeas in pro-
vinciis tantum et jurisdictione Ducatus tui et terrarum tua-
rum hæreditariarum universis personis, quæ sub dominio et
Jurisdictione tua, et a te ad hoc idonei, honesti, habiles et
virtutibus insignes, ac clari reperti fuerint, (super quibus
conscientiam tuam oneramus) concedere, dare atque largiri
galeas cristatas, insignia armorum et jus deferendi, eiq; omnia
alia et singula privilegia, jura, immunitates, honores, consue-
tudines et libertates dare atque conferre, ut iisdem uti, frui,
gaudere et lætari possint. quibus cæteri, idem armorum jus à
nobis nacti, hætenus fructi sunt, seu quomodolibet potiun-
tur consuetudine vel de jure. Decernentes et hoc regio
statuentes edicto, quod hujusmodi per Te privilegandi et
eorum hæredes, si ad eos etiam privilegium extendere vo-
lueris, ac hæredum hæredes, seriatim per te illis collatos, ha-
bere, deferre ac gestare, illisq; in omnibus et singulis hone-
stis, decentibusq; actibus et expeditionibus, tam serio quam
joco, prælio, duello singulari, certamine, hastiludiis, quibus-
cunq; pugnis cominus et eminus, vexillis, tentoriis, signis, si-
gillis, monumentis, ædificiis, suppellectile et aliis locis com-
munibus, prout eorum voluntas ac desiderium requisive-
runt,

runt, aut necessitas exegerit, uti et frui possint et debeant, aptique sint & idonei ad ineundas & recipiendas omnes prerogativas, gratias, libertates, jura & consuetudines, quibus ceteri à nobis & sacro Imperio hujuscemodi ornamentis insigniti, gaudent & potiuntur, absque alicujus impedimento & contradictione.

Volentes etiam, te propter praefata tua merita digniore privilegio insignire, eadem autoritate regia praedicta ex certa scientia, motu proprio, de plenitudine potestatis damus, atque largimur tibi concedimus plenam & omnimodam facultatem, quod possis & valeas in praenominatis provinciis & Jurisdictione Ducatus & terrarum tuarum haereditariorum, omnes & singulos, quos ad hoc idoneos & habiles judicaveris & quo merita egregiaque virtutum insignia, dignos reddiderint, praeculis habentes illud memorandum:

Famamque extendere factis, hoc virtutis opus: eosdem nobilitare, ipsisque atque eorum haereditibus & haereditum haereditibus hereditim, in perpetuum, gentilitium nomen dare atque concedere, quo se nominare, subscribere ac nuncupare possint & ab omnibus ita appellentur, vocentur, scribantur. Arma & insignia per Te eis concessa, palam & ubique deferre, illisque in omnibus nobilibus, honestis ac militaribus artibus & expeditionibus militaribus & torneamentis, ceterisque supra nominatis rebus, pro nutu atque voluntate ipsorum aut necessitate uti & frui, omnesque & singulas gratias, privilegia, honores, dignitates, prerogativas, jura & Jurisdictiones, tam in spiritualibus quam in secularibus, statu ac causa, cum superioribus atque inferioribus officiis atque collationibus, tam in cathedralibus Ecclesiis quam aliis locis habere, tenere, gaudere atque potiri, sicuti ceteri nostri ac Sacri Imperii vere nati nobiles in judiciis, tam feudalibus quam aliis, jus reddere, sententias dicere, eis uti atque potiri

pos.

possint & valeant, sicuti cæteri nostri ac Sacri Imperii nobi-
les atqve equestri ordinis viri, gaudent atqve potiuntur,
quomodolibet, consuetudine vel de jure, absqve alicujus
impedimento & contradictione: Dummodo tamen hujus-
modi parte privilegandi, (ut supra dictum est) in provinciis
ac Jurisdictione Ducatus et terrarum tuarum hæreditaria-
rum, existant,

Deniq; quò majori gratia ac prærogativis à nobis præ-
ditus esse noscaris, concedimus tibi ex certa nostra scientia
& de plenitudine regie nostræ potestatis, amplam faculta-
tem & quamcunqve opportunam auctoritatem, qua possis &
valeas *militis aurata militia*, dextra tua stricto ense, observatisq;
aliis consuetudinibus ac requisitis solennitatibus creare.

Nec non eadem potestate, his, qui *Doctores & Poëta* effici
cupiunt, Doctoratus & laureæ insignia conferre, adhibitis
tunc duobus aut tribus ex ejusmodi facultatibus, in quibus
ipsi per te doctorandi aut laureandi profecerint, Doctoribus
aut Poëtis, qui ipsos, diligenti, debito ac consueto examine
prius factò (super quibus conscientiam tuam oneramus)
sufficientes, ac hujusmodi Doctoratus ac laureæ insignibus
dignos esse approbarint, affirmaverint. Decernentes per
præsentes, quod iidem milites & Doctores, (ut supra) per te
faciendi & creandi, possint & valeant, quorumcunqve orna-
mentorum militarium delatione, iidemq; privilegiis, aucto-
ritatibus & prærogativis, uti, frui, gestare ac gaudere, quibus
cæteri milites & Doctores per nos & quacunqve Gymnasi-
orum Universitates facti & creati, utuntur, fruuntur & gaudent
& uti, frui, & gaudere possunt, quomodolibet, de consuetudi-
ne vel de jure.

Mandantes & serio præcipientes omnib; & singulis Sa-
cri Romani Imperii Principibus, tam Ecclesiasticis, quam se-
cularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, & Marchioni-
bus,

bus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Capitaneis, Vice Dominis, Advocatis, Præfectis, Procuratoribus, Officialibus, Quæstoribus, Civium Magistris, Judicibus, Consulibus, Regum Heroldis, Caduceatoribus, Civibus ac communitatibus & denique omnibus nostris ac Sacri Imperii subditis & fidelibus dilectis, cujuscunqve status & conditionis fuerint, ut eâ nostra, quam tibi largiti sumus, dignitate & notis, prærogativis, ac insignibus ejus, qvaliacunqve de jure ac consuetudine serventur, per totum Romanum Imperium & ubicunqve locorum, te frui & gaudere permittant. Creandos etiam per te ac legitimandos, privilegiandos, nobilitandos, ac quibuscunqve aliis insigniis ac prærogativis supra nominatis decorandos, in privilegiis per te concessis, & illorum fruitione, non turbent nec impediant, imò illis uti, frui & in eis permanere quiete & pacifice sinant.

Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc nostræ creationis, ordinationis, assumptionis, statuti, concessionis, derogationis & gratiæ paginam infringere aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumserit, nostram & Imperii Sacri indignationem gravissimam, ac pœnam centum marcarum auri puri, totiens quotiens contra factum fuerit, ipso facto irremissibiliter se noverit incursum. Quarum medietatem, Imperialis fisci nostri sive ærarii, residuam vero partem, injuriam passorum usibus decernimus applicari, harum testimonio literarum, sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra Imperiali, Augusta, die octavo Mensis Augusti, Anno Domini millesimo & quingentesimo Regnorum nostrorum, Romani, quinto decimo, Vngarici verò, undecimo.

Et

Et sic *Fridericus* Palatinatus Saxoniae & Thuringiae dignitate jam tum praeditus novo alioque *Palatinatus* genere ab Imperatore est excultus. De utroque quaedam adjicerem, nisi pagellarum angustia calamum hic sistere juberet, neque de *Palatinis Saxoniae & Thuringiae* prope diem, dante DEO, pauca commentari foret animus. Ante vero quam calamum ponam, adhuc L. B. monendus es de laudando conatu *Juvenis Ingenuarum virtutum, ingenii excellentis & ad summa nati SALOMONIS VOIGTII, Viri quondam Pra-Nobilissimi, Magnifici & Consultissimi Dn. GABRIELIS VOIGTII, Hereditarii in Elbers & Neuerstorff, Serenissimo ac Potentissimo Saxoniae Electori à Consiliis Aulicis, Metallicis & Feudalibus, & ^{et} ^{manu} ^{scriptis}, Filii aetate minimi; Hic enim studio Politico iniciandus de quibusdam studiis Politico minime negligendis in Cathedra Scholastica dicere constituit, prius quam subsellia Scholastica relinqueret. Dicit autem hora secunda, qua ut Musagetæ optimi, frequentes accedatis Orationem elegantem & politam attente audituri, non tam meo rogo nomine, quam Viri Pra-Nobilissimi, Magnifici & Consultissimi Dn. ANDREÆ MEYERÏ, Leutenthalii Dynastæ, fcti celeberrimi, & Seren. Duc. Saxo-Goth. Consiliarii Aulici eminentissimi, Patroni*

2476/1690
troni, colendi qui Abiturientem primo affinitatis
gradu contingens favorem Affini exhibitum non
omni solum verborum honore compensabit, sed
re quoque ipsa æquabit. Valete & accedentes pari
attentione excipite Carmina propemptica

Ebræum JOH. FANCKHENDELII, Alt-Kirch.
Græcum ABRAH. HEMPELII, Altenb.
Latinum JOHANN. LÖSCHERI, Plav. & Varisc.
Germanicum JOH. SCHMALTZII, Altenb.

Valete denuo! P. P. Altenburgi XI. Kal. Febr.
A. C. MDCC LXXVIII.

F I N I S.



tis
on
ed
ari

h.

fc.

or.

ULB Halle

3

004 779 991



1017





h. XVIII. 10. CR.
COM
TINI
AB IM
FRID
ELE

ORAT
STUDII

M. PAU

Excude

T 208
ALA
TATE
ANO I.
ENTI,
fel,

DRIAM
POLITICO

nfi
XVIII.

es of-
S SAGIT.

ypogr. Aul.

